

Beiheft

2

S 110

1267 August 18 Horstmar.

[39]
110

Friedrich, Graf von Rietberg u. s. w., entscheidet einen Streit zwischen dem Kloster Varlar und Hörigen desselben.

Universis Christi fidelibus praesentem chartulam inspecturis Fredericus, Dei clementia comes de Retberge et dominus in Horstmahre, salutem in omnium salvatore. Quae geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, necesse est, ut litteris ad memoriam transeant posterorum. Inde est, quod notum esse volumus omnibus praesens scriptum intuentibus, quod constituti coram nobis Wilhelmus praepositus, Wilhelmus prior et Richardus cellararius ecclesiae Varlarensis pro quadam causa, quae vertebatur inter ipsos nomine ecclesiae Varlarensis ex una parte et Ecbertum, qui dictus seu vocatus est Thelonarius, et Joannem filium eiusdem Ecberti, qui servilis conditionis erant, pertinentes dictae ecclesiae Varlarensi ex altera parte mediatis viris discretis sopita inter ipsos omni seditione, sic extitit ordinatum, quod dicti praepositus, prior et cellararius dictos Ecbertum et Joannem filium Ecberti manumiserunt, libertati donantes eosdem. Idem vero Ecbertus videlet et Joannes filius et haeredes dicti Ecberti et uxor Ecberti, mater Joannis de unanimi consensu domum, quae Velthus vocatur, quam a dicta Varlarensi ecclesia habuerunt et tenuerunt sub annua pensione trium solidorum monetae Monasteriensis, in recompensationem omnis damni saepedictae ecclesiae Varlarensis a saepedicto Ecberto pluries illati in manus dictorum praepositi, prioris et cellararii libere et absolute non coacti, sed divina inspirante gratia cum omnibus appendicis et cum omni jure, quod ipsos in dictis bonis competit videbatur, liberaliter resignaverunt perpetuo renunciantes eisdem et hoc facto dictum Ecbertum a sententia executionis¹⁾, quam pluries incurrerat damnificando ecclesiam memoratam, quantum potuerunt, absolverunt; et hoc sub sigilli nostri firmamento protestamus. Datum et actum in Horstmare anno Domini M⁰CC⁰LX septimo, feria quinta post assumptionem beatae Virginis, praesentibus viris fide dignis, quorum nomina subscripta sunt: Joannes sacerdos, capellanus in Horstmare; Macharius de Billerbeke, Sibertus judex de Cosvelde, Joannes Tvente, Hermannus de Borchorst, Albertus Göding, Wernerus Rike, magister Henricus sagittarius, Ecbertus villicus ecclesiae Varlarensis et alii quam plures.

Kopie im Varlarer Archiv S. 79/80.